



Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

Capvt VIII. Depulso imperfectionum nostrarum, ab appetitu sensituo Christi Domini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79561)

superius probauimus de vitio morali per se acquisitis. Deicit namque, hac quoque in parte Christi Dominum vniuersis præcellere; nec eum cultum propria exerceat & repetitis actibus serò conquerere, sed iam inde à principio obtinere. Præter has naturales appetitus sensitiui in Christo perfectiores, erit qui ei tribuit habitum quoque supernaturalem, illi perfissimam quem in Adamo innocente ad formis frustrationem admiserunt aliqui. Sed nos inferiorius, eam perfectionem perperam tribui appetitui ostendimus, agentes de eius defectibus.

Breviculus capituli, & usus doctrinae.

Summellam capituli, hæc pauca exhibebunt. Appetitus Christi sensitiuus, ad nutum voluntatis, eandem quas appetitus noster actiones elicit, nominatimque dolorem & iram. Idem appetitus, omnes actus primos gradus ac ordini suo consentaneos, à primo conceptu Christi momento, est consecutus.

Vius doctrinae esse debet, suspensio insignis diuinæ condescensionis, quæ Christum suum, per omnia abluque peccato & peccati comite ignorantia, nobis simile fieri voluit. Hoc planè fuit, cum ægris agere, & eadem affligi lectulo. Nam esse passiones lectulum nostrum, pulchre docet S. Ambrosius ad illud Psalmi 40. *super lectulum doloris eius*. Et abiicit quidem Christus, eam lectulum in resurrectione, vt S. Ambrosius ibi subdit, & pulcherrimè S. Bernardus sermone de verbis Origenis, monstrans sponsum querendam esse in hoc lectulo, per noctem huius vite: Depulsa autem nocte, & subleuato die, non iacuisse vicius in hoc lectulo nostro, in hac tamèn mortali vita, & lectum & has agnitiones nostras non est dedignatus.

CAPVT VIII.

Deposito imperfectionum nostrarum, ab appetitu sensitiuo Christi Domini.

424. Quætorum in nobis defectum sensu sit appetitus sensitiuus, ingi experimento notius est, quam vt confirmatione vel declaratione indigeat. Hæc enim omnis virulentia qua animabus nostris exitum creatur, ortum habet: hinc omnes educuntur actus, quibus cum ratione superiore, cum natura rationali, cum ipso numine coniungimus: vt beatus sanè sit, cui ex hac parte pax est, sine minus plena, at qualem in hoc certaminis tempore sperare licet. Beatissimum verò fuisse Christum, cui omnia hinc pacata & rata erant, monstratum venio.

Defectus varij nostrates, imò appetitus.

Id assensum videri potero, si natos illos acque defectos quibus noster sensitiuus appetitus vrgetur, abfuisse à Christi appetitu planum fecero. Sunt autem duo præfati: alterum quod appetitus nostri germinum honesto aduerfantia, inuoluerit absque factu sobolescent, & rationem liberam præueniant; tanta est phantasia quam assensum peniculas atque mobilitas; appetitus autem sensitiui velut rabida fames circa cibum boni sensibilibus inhonesti, per phantasiam prælatam propositi. Secundum est, quod idem motus nostri appetitus sensitiui, quem *carnem* sapè vocat Apostolus, concupiscant aduersus spiritum, & lex membrorum repugnet legi mentis, absque treuga & indiciis; indeque iugis in nobis pugna, & irrequietum bellum exoritur. Hæc duo, constituunt quem in nobis vocant *fornicem*. Nihil enim aliud est fomes, præter appetitum qui peccati flammam facillè concipit, etiam inconsulta libertate, quia suapte natura & iniussu voluntatis superioris, propendet in bonum sensibile quod est contrarium bono honesto; quæ fomitis no-

tio, bene traditur à Durando in 3. d. 3. q. 3. nu. 6. Itaque duorum prædictorum defectuum sublato, est fomitis extinctio, non quoad entitatem quæ est materiale fomitis; ea siquidem manet quandiu persistat appetitus, sed quoad formale, seu quoad inordinationes illas appetitui quidem sensitiuo connaturales, coercendas tamen per gratiam, si homo à statu innocentie non excidisset. Duobus quoque prædictis defectibus, iungitur frequentissimè inflammatio à gehenna; Satan namque probè conscius genii nostri, & totam naturam nostram penitissimè inspiciens, conspergit hunc nobis conseruatum ignem, naphtha & adipe, vt actius succendatur; quæ sunt tentationes iuges quibus ab inimico nostro lacessimur, & ad perniciem nobis ipsis per nosmetipsos inferendam, sollicitamur. Hi defectus in nobis sunt quotidiani atque perpetui, à Christo autem sunt amolendi.

Anteoccupatio rationis per appetitum, procul à Christo.

425. Ac primum quod motus appetitus sensitiui, in Christo non anteuerterent rationem liberam, est extra dubium; cum in statu innocentie idipsum omnibus futurum esset commune, vt latè tractat Suarez l. 3. Cosmop. cap. 1. 2. à num. 4. & habetur ex D. Augustino 13. Trin. cap. 3. & lib. 14. Cinit. cap. 10. & plerisque seqq. In Christo autem omnia recapitulatur, id est ad primum statum conditi hominis reueniunt, pulchre declarant Terullianus l. de monogamia cap. 5. & lib. 5. contra Marcion. cap. 17. Chrysologus serm. 77. Clem. Alexand. 5. Strom. pag. 560. & Ambrosius serm. 37. Igitur Christus ea prærogatiua potius est: Et ita cum D. D. Augustino & Gregorio Tolero in cap. 11. Ioan. annot. 9. Non intendo affirmare, affectus seu motus quoscunque appetitus sensitiui, non potuisse aut debuisse in Christo naturaliter exurgere, postea obiecti sensibili. v. g. non dico, dolorem posita obiecti disconuenientis appositione, vel immisione, non debuisse aut non potuisse naturaliter excitari: Id enim falsè diceretur, quia vt supra disputatum est tractando de defectu corporis Christi viatoris, quamuis perfectio huiusmodi motus subiaceret Christi arbitrio, quatenus poterat eam impedire: tamen posito quod non impediret, exurgere debuit ex necessitate naturæ. Poterat ergo motus appetitus, in Christo ad incursum obiectorum pullantium sensum externum, indeque phantasia appetitui prælucentem, excitari naturaliter; & reuera excitabatur, nisi ratio præueniens exortum eius intercluderet; ea tamen silente, & quamuis positiue non permitteret, tamen negatiue se habente circa appetitum, exurgebat motus appetitus, v. g. dolor.

Quod itaque peculiare Christo tribuo, & Adamo quoque innocenti competebar, illud est; passiones quatenus in nobis moraliter noxias; hoc est quatenus in quibusdam occasionibus aut circumstantiis inclinabant ad aliquid ex se inhonestum, si voluntatis consensus accederet, aut quatenus in nonnullis item circumstantiis nisi cohiberentur segnem ac difficilem redderent honesti exercitationem; non prius in primo & nouissimo Adamo fuisse excitatas, quam ratio positiue permisisset illasque aduocasset: Ea verò reclamante & exortum prohibente, nunquam exurexissent: contra quam in nobis accidit, post Adami naufragium. Innoxios verò affectus, & ea quam dixi duplici labe vacuos, inclinandis ad malum, vel remouendis bonum, (Damasce. 3. fid. c. 20. vocat *passiones naturales*, & contra ponit *suggestiui mali*.) sinebat Christus exurgere naturaliter, quamuis si libuisset, potuisset impedire, vt supra tractatum est, exponendo passibilitatem corporis Christi viatoris. Nunc enim illos dumtaxat alios ostendimus.

426. Eorum à Christo exclusionem, quousque aduocarentur, & distinctionem à prioribus, pulchrè his verbis expressit S. Maximus in disp. contra Pyrrhum agens de aff. & timoris. [Est timor ex natura, & præter naturam. Ex natura quidem timor est, vis ipsius naturæ ad tuendum se per contractionem. Præter naturam verò timor est, contractio præter naturam. Timorem igitur præter naturam, Dominus vixit ex proditione cogitationum profectum, penitus non admisit. Timorem verò ex natura, vixit indicem facultatis insitæ naturæ ad tuendum se, volens propter nos tamquam bonus admisit. Non enim in Domino, sicut in nobis, ea quæ naturæ insunt, voluntati antecedunt: sed sicut cum verè esuriebat & sitiebat, non esuriebat sicut nos, sed supra nos, sic cum timuit verè, non sicut nos, sed supra nos timuit.] Hoc est quod significatur, qui agendo de Christi moribus, monuerunt declinandam esse vocem *passionis*, quæ subitum impetum, & inscienis appetitum profectum, in communi usu sonat. Itaque quod in Christo hi posteriores affectus non nisi dato signo & ex plena superioris voluntatis potestate exurgerent, *propassiones* nominarunt, significantes quod S. Augustinus 14. Ciuir. cap. 9. ait, Christum infirmitates hæc nostris quibus ex humanæ conditionis infirmitate subiaceamus, habuisse quidem; sed hanc eius infirmitatem fuisse ex potestate. Idem egregie habet S. Bernardus serm. quadam de verbis Origenis in hom. in c. 10. Leuitici, ubi ait Christum cum hic nobiscum degeret, & inter mortuos, fuisse liberum. [Fuit inquit] sicut mortuos, sed & tunc liber fuit: siquidem ipse sese turbauit, ipse animam suam posuit, quia ipse voluit, oblatum est; & omnis ei infirmitas de voluntate fuit, non de necessitate. Vnde & quod infirmum erat Dei, fortius erat hominibus; quod esset tunc quoque etiam inter paruulos magnus, inter infirmos validus, inter mortuos liber.] S. Fulgentius ad eandem mentem egregie disputat, ad calcem epistolæ ad Rheginum, sic scribens de Christo. [In anima sic perfectam incorruptibilitatē seruauit sicut peccatū nec propagine traxit, nec cōtione contraxit. Vnde & infirmitatis animarum nostrarum, quas in sua rationali anima portauit Christus, sine vlla corruptione portauit. Nullus quippe potuit defectus inesse virtutis, ubi infirmitatis indefessa susceptione permansit perfectio caritatis, quæ Vnigenitum Deum, fecit, vsque ad mortem pro nobis accedere, & confusione contempta crucis opprobrium sustinere. Propter quod tristitiam, mœrorem, vel si quas nostrarum animarum infirmitates habuit Christus, veras quidem, sed voluntarias habuit.] Eleganter in hanc sententiam disserit Laur. Iustin. l. de triumph. Chrif. agone cap. 5. tractans illud Ioannis de Christo, *infirmuit spiritu, & turbauit semetipsum*.

Sed quod ad vocem *propassionis* attinet, vsus quidem ea est in sensu longè alio S. Hieronymus in cap. 1. Math. ubi ait, motus subitō, nisi transeant in affectum cordis, & de *propassionibus* fiant *passiones*, labis expertes esse. Quo eodem modo Epistola 9. Saluianæ monet, vt hominem se esse nouerit; antepassiones & propathias trisillantes animam, à se alienas non putet; tantumque curet, ne in *passiones* euadant. Itaque *propassiones* ibi appellat, motus subitōs cogitationum, seu *primos earum pulsus*, vt loquitur in c. 18. Ezech. Quia ratione non fuerunt sanè in Christo *propassiones*: Et hoc sensu Petrus Cellensis l. 1. de tabernac. ait: [Auro mundissimo deaurata est arca Iesu; intus, quia nec passio, nec *propassio* vitij, ianuas animæ eius pulsauit.] Tamen alio præterea sensu idem S. Hieronymus vsurpat vocem *propassionis*, in quo aptè ea vox de Christi affectibus dici potest: nempe pro affectu rationi plenè subiecto, nec eam obnubilante, vt nobis accidit. Quia ratione in cap. 26. Matth. timorem à Christo conceptum, vocat *propassionem*, siue antepassio-

nem. Passim tamen, vox *propassionis* existimatur tributa Christo à D. Hieronymo, tantum prout designat *passionem* exurgentem ad voluntatis supentionis arbitrium, quod vides à Hieronymi vsu alienum esse, vt notatum est in Mor. dist. 3. n. 31.

Contrarietas appetitus & rationis, à Christo exulauit.

427. Alter defectus à Christi appetitu sensitivo ablegandus, est contrarietas cum voluntate superiori. Circa quam contrarietatem Synodus 1. Constantinop. collat. 8. Can. 12. Theodorum Mopsuestenum his verbis damnat. [Siquis defendit impium Theodorum Mopsuestenum, qui dixit alium esse Deum Verbum & alium Christum; à passionibus animæ, & desiderijs carnis, molestias patientem, & à deterioribus paulatim recedentem, & sic ex profectu operum melioratum, & à conuersatione immaculatum factum, & tanquam purum hominem baptisatum esse in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; & per baptismum sancti Spiritus gratiam accepisse, & filiationem meruisse, vt ad similitudinem imperialis imaginis in persona Dei Verbi adorari, & post resurrectionem immutabilem cogitationibus & impeccabilem omnino factum, fuisse.] &c. Eum inquam qui ea in patre Theodorum defendens, iubet Synodus esse anathema. Vides damnationem contrarietatis ac pugne inter voluntatem rationalem Christi eiusque appetitum sensitium. Optimè quoque S. Leo epist. 11. *sub finem*, sic ait de Christo. [Non alio illi quam cæteris hominibus, animo est inspirata principio, quæ excelleret non diuersitate generis, sed sublimitate virtutis. Nihil enim carnis suæ habebat aduersum; nec discordia desideriorum gignebat oppugnantiam voluntatum. Sensus corporei vigeant sine lege peccati, & veritas affectionum, sub moderamine Deitatis & mentis, nec tentabatur illecebris, nec cedebat iniurijs.]

428. Hoc tamen non videtur coherere cum ijs quæ proximè diximus. Admissum enim *passiones* quæ in nobis ad malum prolestant, aduocari à Christo potuisse, & verò interdum esse aduocatas. Tunc igitur, aduersus s. iurum pugnant. Id quod etiam patet ex Christi extremo agone, in quo professus est, ipsum sibi esse forem, carnem verò infirmam, & resurgentem quod præscribebat voluntas superior; & appetit petij, vt transiret ab eo calix, quod erat contra Dei voluntatem. Nec potest dubitari, quin ea verba ipsius Christi sensum proderent, in suamet, non in nostra persona loquentis; cum ita aptè ferat Evangelica narratio, & omnes PP. manifestè idem doceant. Vnde non potest simpliciter approbari, egrèque expostio, quod ait D. Augustinus concio. 1. in Psal. 12. ad v. 1. verbis illis. [Gerens hominem Christum, & regulum nobis proponens, docens nos viuere, & præstans nobis viuere, ostendit hominis quandam priuatam voluntatem in qua suam figurauit, & nostram quia caput nostrum est. & ad eum sicut nobis tamquam membra pertinemus. Pater (inquit,) si fieri potest, transeat iste calix à me. Hæc humana voluntas erat, proprium aliquid & tanquam primatum volens, sed quia recto corde voluit esse hominem, vt quicquid in illo aliquantum curam esset, ad illud dirigeret qui semper est rectus, verum non quod ego volo, (ait,) sed quod tu Pater. Sed quid possit mali velle Christus. Quid postremo aliud posset velle quam Pater, quorum vna est diuinitas, non potest esse dispar voluntas. Sed ex persona hominis, transfigurans in se suos, quos in se transfigurauit, cum ait, *Esurui, & dedisti mihi manducare*, quos in se transfigurauit, cum furenti & sanctos persequenti Saulo clamauit desuper, quem nemo tangebatur, *Saule, Saul, quid me persequeris?* Ostendit quandam hominis propriam

primum voluntatem; ostendit & correxit te. Ecce vide, (inquit), te in me, quia potes aliud proprium velle, ut aliud Deus velit. Conceditur hoc humana fragilitati; conceditur humana infirmitati, aliud proprium velle. Difficile est ut non tibi contingat, sed statim cogita quod sit lapsa te, te infra illum; illum creatorem, te creaturam; illum Dominum, te seruum; illum omnipotentem, te infirmum; corrigens te, ac dicens, *verum non quod ego volo, sed quod in vult Pater.* In his verbis, D. Augustinus non negat motum illum fugae à carne, fuisse Christi: sic enim non posset approbati eius sententia; sed tantum docet, in eo Christi facti & priuati, voluntate monstratum esse quomodo motus nostri sint ad diuinam amissionem componendi: Itaque manet difficultas proposita, de repugnantia & conuersione appetitus Christi, cum Dei decreto & voluntate superni. Eam appetitus Christi cum voluntate pugnam, distat agnoscit Laur. Iustin. Ide triumph. Chrys. Agone cap. 6. his praeferat cetera. [6 quam mirandum certamen, 6 quanta pugna in mediatore Christo, carnem appetere repugnare spiritui, & spiritum carnem: tamquam si qui piam decubaret infirmus cui pro restauranda valetudine poculum amarissimum porrigeretur à Medico, dupli hic desiderio traheretur, euitandae videlicet potioris, & consequentiae sanitatis. Suggesteretur ratio amaritudinis haustum, quem omnino sensualitas abhorceret &c. Eundem in mediatore nostro fuisse constitutum, ambigat nemo.]

419. Respondendum est, iis non obstantibus, appetitum Christi sensitiuum non fuisse proprie contrarium voluntati superiori. Illustrate id possumus, exemplo voluntatis. Voluntas ergo Christi ut natura, hoc est prout operans iuxta naturalem inclinationem commota propria captantem, & incommoda refugientem, eodemque voluntas ut ratio siue prout operans ex prudentiae praescripto; quamuis interdum dissidentes in Christo viderentur, eo quod vnaquaqueque functiones suas obiret; & vna refugeret, quod altera adamabat, non erant tamen proprie contrariae, sed tantum diuersae: quia quamuis vna & eadem facultas spirituales, vellet v. g. mortem quatenus à Deo indictam, & tamque nollet quatenus naturae incommoda; tamen volitio inferior quae naturae consulabat, non impendebat aliam, qui erat tantum inefficax. Ita appetitus sensitiuus qui eodem plane modo se habet ad voluntatem rationalem, quo voluntas ut natura, ad voluntatem ut est ratio; & quoties agit, semper extinguit actum voluntatis ut naturae; diuersam quidem actionem eliciebat ab ea quae per voluntatem rationem ductam profundebar; non tamen reuera pugnantem cum ea, quia illam nunquam impendebat; nec quod in nobis accidit, abstrahat à recto, & illiciebat ad malum vialiquatenus illata, sed merè exerebat sensum naturae de incommodo ingruente, vel apposito, nec vltius progrediebatur ad perentandam voluntatis superioris constantiam, ut à recto abduceretur. At hoc in nobis, nimium quantum frequens est, ut scriptis elegantissimè S. Paulinus varios gradus quibus per passionem prolucitur ad malum, ita describens epist. 30. in fine, tractans illud Ioëlis 1. *Residuum eruca, comedit locustae;* idque ad passionem frugum bonarum vastatrices accomodans, Ergo in eruca, & locusta, & bruchus, & robignus, nostrarum affectionum intelligendae sunt passionis; quatum aliae breuiter in corde haereant, alae paulatim crescant, & si abiectae non fuerint ad medullas usque perueniant, & omnem succum ebibant animae? Vide enim qualiter ista congruant in cordibus nostris monstra vitiorum, qualia in frugibus accidunt vitia monstrorum. Nam verbi gratia si quid veritum concupiscam, & mox abijciam cogitationem, eruca est in folio sedens: quae decussa, si abiecero quidem, sed rursus redierit cogitatio, & coeperit abijci, & re-

Theroph. Raynandi Christi.

dire crebrescat, locusta est auolans & reuertens. Quod si coeperit immorari, & maius habuerit spatium in comedendo quam auolando, bruchus dicitur. Quod si ipse bruchus, qui non satis auolat, sed magis ledet, non fuerit abiectus, in rubiginem vertitur, quae iam penitus inhaerescens, ut de stipula, sic de anima, numquam aut difficile expellitur.]

430. Nulla talis, siue brevis, siue diuturna mora passionum rationi infestatur, eiusque pacem labefactantium, vel concutientium, & captiuantium nos hic viatores sub lege peccatis (ut plenissime versat S. Hilarius in Psal. 136.) reuera ad eum modum in Christo fuit. Quod pulcherrimè expressit Origenes tract. 35. in Marth. expendens cur Euangelista de Christo non dixerit, *tristatus est, & radii concepti;* sed tantum dixerit, *cepisse parere & ledere.* [Considera quia non dixit *tristatus est, & radiatus;* sed *cepisse parere & ledere.* Multum enim interest inter *tristari* & *incipere tristari*. Si ergo aliquis defendens passiones humanas, profert nobis etiam ipsum tristatum fuisse Iesum, audiat quoniam qui tentatus est per omnia, secundum similitudinem praeter peccatum, hic non est tristatus tristitia passionis ipsius, sed factus est secundum humanam naturam, tantum in ipso principio tristitiae & paenitentiae, ut ostendat discipulis suis praesentibus, maxime Petro, magna de se estimanti, rebus ipsis quod postea eis dixit; *quia spiritus promptus est, caro autem infirma;* Et non est aliquando confidendum in ea, sed semper timendum de ea quia incanta confidentia ad iactantiam ducit: timor autem infirmitatis ad auxilium Dei confugere adhortatur; sicut & Dominum ipsum paululum progredi, & cadere in faciem, & orare. Ergo cepit quidem tristari secundum humanam naturam quae talibus passionibus subdita est, non autem secundum diuinam virtutem, quae ab huiusmodi passione longe remota est. &c. Videns ergo instans sibi certamen, quod non erat ei aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus tantos Reges terrae assistentes, & principes congregatos in vnum aduersus se, quantos nunquam; cepit parere, vel tristari, nihil amplius tristitiae vel paenitentiae patiens, nisi principium tantum. Nec enim scriptum est, *quia paruit, vel tristatus est;* sed *cepit parere, & cepit tristari.* Eadem habet ad eum locum S. Hieronymus.

Fomes, in Christo, extinctus.

431. His duobus defectibus nostratibus à Christi appetitu semotis, perspicuum est, fomitem peccati quod vidimus per eos constitui, non modò fuisse in Christo ligatum, sed etiam planè extinctum: non quod qualitas quam fomes dicit in actu primo, defuerit Christo; (erat enim ipse appetitus, qui Christo inextitit,) sed quod inordinationes illae quae sunt de ratione fomitis, non potuerint in Christi appetitu locum habere. Quod si Beata Virgo, quae absolute erat peccabilis; à plerisque tamen grauius Doctoribus, negatur habuisse fomitem peccati; ut à Vasques 3. p. d. 1. 8. cap. vlt. & contra Caietanum id tanquam probabile propugnante Palacio in 3. d. 3. disp. 1. ab aliis autem dicitur habuisse quidem peccati fomitem in actu primo, sed extinctum; quia appetitus Deiparae nunquam erat effractus repagula, & honesti fines praetergressurus: quo sensu extinctum in Deipara fomitem, docent Suarez tom. 2. 3. p. d. 4. serm. 5. & Salazar cap. 18. de concept. §. 2. quanto magis Christus ipsamet innocentia & sanctitas, nulla labe violabilis, & à peccato infinite remotus, fomite peccati caruisse docendus est? Caruit autem fomite, aut quod eodem recidit, fomitem habuisse extinctum, non interuentu alienius habitus diuinitatis infusi, ut de Adamo innocente censuit Molina in Confop. disp. 17. post Durandum in 2. dist. 29. quae est. 2. sed aliqua, & quidem modica ex parte, interuentu habituum facilitantium appetitui infusorum per accedens, B b b quibus

quibus confertur appetitui facilitas ad sequendum rationis ductum: maxima verò ex parte, per providentiam Dei extrinsecam, & manu tenentiam ac curam Dei specialem. Nullus quippe habitus appetitui immixtus, posset formaliter excludere motus eius inordinatos: cum habitus non sint stupefactivi, & inhibitiui operationum, sed earum potius profusivi. Qua ratione de fronatione appetitus in Adamo, philosophatur Suarez l. 3. Cosmop. c. 12. n. 18. Ceterum in Adamo non erat ligatio, sed tantum extinctio fomitis, ideoque poterat Adamus vinculum dissolvere, & efficienem bestiam sibi permittere. At in Christo, fomes extinctus erat. Itaque multo minus sufficere in Christo poterat, sicutum habitus, immixti appetitui.

Pax inter rationem & appetitum, non exclusit à Christo tentationes, & quorsum.

432. Potest denique hinc fieri iudicium, qua ratione Christus tentationibus subiacere potuerit. Tentatum enim fuisse à Satana, Evangelistæ diserte produnt. Et ita planè decuit iuxta illud Damasceni 3. fid. c. 20. [Tentatus est, & vicit, ut nobis victoriam pararet: & daret naturæ virtutem vincendi adversarium: ut natura olim victa, per quas suggestiones victa fuisset, per illas vinceret antiquum victorem.] Agnosce quod tradidit S. Augustinus omnino benè ad illud Psalmi 60. *Dum anxietur cor meum.* Causam enim exponit cur Christus tentari voluerit, verbis illis, [Vita nostra in hac peregrinatione non potest esse sine tentatione: quia profectus nos per tentationem nostram fit, nec sibi quisque innotescit nisi tentatus. Nec potest coronari nisi vicerit, nec potest vincere nisi certaverit, nec potest certare nisi inimicum & tentationes habuerit. Angitur ergo iste à finibus terræ clamans, sed tamen non relinquitur. Quoniam nos ipsos, quod est corpus suum, voluit praefigurare, & in illo corpore suo, in quo iam & mortuus est & resurrexit, & in caelum ascendit, ut quo caput praecessit, illic se membra secutura confidant. Ergo nos transfiguravit in se, quando voluit tentari à Satana. Modo legebatur in Evangelio, quia Dominus Iesus Christus, in eremo tentabatur à Diabolo. Propterea tentabatur Christus à Diabolo. In Christo enim tu tentabaris, quia Christus de te sibi habebat carnem, de te sibi salutem de te sibi mortem, de te tibi vitam: De te sibi contumelias, de te tibi honores. Ego de te sibi tentationem, de te tibi victoriam. Si in illo nos tentari sumus, in illo nos diabolus superamus. Attendis quia Christus tentatus est, & non attendis quia vicit: Agnosce te in illo tentatum, & te in illo agnosce vincentem. Poterat à se Diabolus prohibere, sed si non tentaretur, tibi tentando vincendi magisterium non praeberet.] Brevisimè 9. Cicut. c. 21. [Se tentari ipse permisit, ut hominem quem gerebat, ad nostræ imitationis temperaret exemplum.]

433. Alij plerique Patres quos appendit D. Thomas 3. p. quæst. 4. r. art. 1. & alij apud Suarez ad eum articulum, nec non apud Toletum in cap. 4. Lucæ annot. 5. varias præterea causas proferunt, quibus ostendant congruum fuisse, ut Christus tentaretur: quas inter Toletus, maxime facit eam quæ ducitur ex antithesi cum primo Adamo, ut ipsidem lineis quibus perierat, salus humana redderetur. Ego eam rationem his Cassiani de Christo verbis represento collat. 5. c. 6. [In illis passionibus, etiam ipse tentari debuit, incorruptam imaginem Dei ac similitudinem possidens, in quibus & Adam tentatus est, cum adhuc in illa iniolata Dei imagine perduraret; hoc est, galtrimargia, cenodoxia, superbia, non in quibus post prævaricationem mandati, imagine Dei ac similitudine violata, suo iam victio deolulus involuitur; Galtrimargia namque est,

qua interdicti ligni praesumit edulium; Cenodoxia, qua dicitur, *aperientur oculi vestri*: Superbia, qua dicitur, *ut sitis sicut dy*, scientes bonum & malum. In his ergo tribus vitiis etiam Dominum Salvatorem legimus fuisse tentatum. Galtrimargia, cum dicitur ei à Diabolo. *Dic ut lapides isti panes fiant.* Cenodoxia, si filius Dei es, mitte te deorsum; superbia cum ostendens illi omnia regna mundi & eorum gloriam, dixit, *Ecce omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*: ut ipsidem quibus ille tentationum lineis est appetitus, nos quoque quemadmodum tentatorem vincere deberemus, suo doceret exemplo: Ideoque & ille Adam dicitur, & iste Adam: ille primus ad ruinam & mortem; hic primus ad resurrectionem & vitam. Per illum omne genus hominum condemnatur, per istum omne genus hominum liberatur. Ille de rudi atque inculta fingitur terra; hic de Maria Virgine procreatur. Planè similia habet S. Gregorius hom. 16. in Euang. & S. Damascenus ex parte 3. fid. cap. 20. latè verò & egregè adiuncta omnia tentationum Christi & Adami componit, Anastas. l. 1. 10. hexaem. *sub finem.*

Antiochus hom. de cogitationibus, Christum tres tentationes (ut vocat) *generalissimas*, à Diabolo subijctas ait, ut haberemus exemplum Satanam elidendi. *Generalissimas* vocat, qui ut ait S. Augustinus in Plal 9. [Tria genera vitiatorum, id est, voluptas carnis, & superbia, & curiositas, omnia peccata concludunt. Quæ mihi videntur à Ioanne Apostolo enumerata, cum dicitur, *Nolite diligere mundum; Quoniam omnia, quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis est & concupiscentia oculi, & ambitio seculi.* Per oculos enim maxime curiositas prænalet. Reliqua verò quod pertineant manifestum est. Et illa Domini hominis tentatio tripartita est: per cibum, id est, per concupiscentiam carnis; ubi ingentur, *dic lapidibus istis ut panes fiant.* Per inanem iactantiam, ubi ei in monte constituto, ostenduntur omnia regna huius terræ, & promittitur si adoraverit. Per curiositatem, ubi de pinna templi admonetur, ut se deorsum mittat, tentandi gratia, utrum ab Angelis suscipiatur. Itaque posteaquam nullo istorum tentamento valere apud eum potuit inimicus, hoc de illo dicitur: *postquam complevit omnem tentationem Diaboli, recessit a seque ad tempus.* Luculenter sed fusè admodum in hac tentatione totam disserit S. Chrysostomus hom. 5. ex variis in Matthæum locis. Brevis sed pulchrè S. Athanasius oratione noua in S. Pascha *sub finem.* Habemus ergo quinque varias tentationes subierit Christus: & tentari Christum debuisse, ac decuisse. Porro ex narratione Evangelica constare videtur, quantumvis ea tentatione inferenda, (quod S. August. notavit 9. Cicut. c. 21.) Satan intentus maxime esset in explorationem diuinitatis Christi, de qua Dæmon ambiguus erat; tamen intervenisse admixtionem pellectionis ad peccatum, qui est scopus Satanæ propositus, cum tentationibus nos quatit.

Modus quo tentamur, diversus à modo quo Christus tentatus.

434. Longè tamen diversus fuit modus Christum tentandi, à modo quem Satan tentator in nobiscum; id quod dicebam deprehendi posse ex ante constitutis. Nam in nobis Satan citet tentationes, excitatis diversis modis affectibus appetitus sensitivi; abotens complexione corporea, & adhibens varia artificia quibus scintillas in nobis, imò incendia vel renitentibus excudit, adurens, vel odore ignis commaculans. Pulchre Autor sermonis de ieiunio & tentationibus apud Cyprianum, post descriptas Satanæ machinas Christo adnotas. Huiusmodi consiliis filios hominum Satan corrumpere consueverat, & robustis virilibus quæ animis, etiam huiusmodi cogitatus immittit: & si ab ingressu mentis arceatur renitente consensu, aliquod tem-

men de spurcicia sua ibi euomens, abominationum horrore nauseare compellit. Sic vt aliquid Poëticum inferam, remulens Cyclops illiciti coniugij appetitor, licet à Pallade repellatur, in gremio tamen eius Etichionum fundit; & incorrupta Minerva, superest tamen deforme monstrum, nec omnino affectata scelerata in memoria moriuntur.]

Nec magnopere laborandum est Satanæ, vt hos in nobis motus excitet, quos putrida caro, velut lappas & tribulos etiam infematos per seipsam ferè perpetuo fundit. Id quod idem autor his aureis verbis exponit, serm. de ratione circumcissionis. [Erubescimus in pendens & detecto sectoque confusionis opereulo, quatinus conscientia testis semper nobis exponat scaturientes intus peccati infidias, nec internum vitare possimus iudicium, visilit tamen standum est, & rationis auctoritate inceptandi sunt titillatorij sensus; & summo per vigilandum est, ne sequatur assensus. Intra nos pudor iste aboleri omnino non potest, quia nec totum hoc membrum, sed anterior eius portio iussu est circuncidi. Res sane maxima est, si non egrediamur foras huius contagio corruptelæ; & infans bellis corrupti anhelitus, catenis ferreis in vltimis animæ recessibus alligetur; intusque fractis dentibus seipsam concupiscentia captiua, masticet & corrodar.] Et mox. [Quis in tam affluens illusionibus non confunditur? quis non in tantis contumeliis erubescat? Fames quippe huius mali intus in tenebrosis recessibus latens, vt videtur animam aliàs occupatam, & minus alibi circumspectionem sollicitam; irruptionibus vehementibus erumpit, blanditis venena supponens, pudicitie puritatem inopinatis inuadit assaultibus. Ideoque probandus homo nuditatem suam operit, & faciem consilium occultat. His rediuius vulneribus semper hac sanie illitis, necessaria est per omnem huius vite septimanam iugis resecatio putredinum, & continua circuncisio cicatricum. Et in ceteris quidem membra omnia imperio rationis obediunt, & arbitrij remittunt libertatem. Hic verò vbi Babylonie fornax cauterit, & quasi pica & naphtha conspersu libidinum ebullierit appetitus, inflammata caro libertatis priuatur honore, in tantum vt rebellia membra, velit nolit, in motus nefarios audacter exurgant.] Hæc est igitur paupertas nostra. Hic ille internus ignis, cui exurgendo S. Petrus apud Clementem IX. reced. Baptismum, qui est primæ nostræ in Spiritu productionis Sacramentum, insituit in aquæ elemento: quâ tamen premixta perfusione aquæ mysticæ, ignis ille internus etiam absque incensore Satana, iugi scintillaram emissionem, ni caueamus, incendium comminatur.

435. In Christo autem affectus appetitus sensitiui qui ad malum nos proleant, iunctque veluti rudimenta & prolusiones peccati, tamen secluso assensu innoxii, non erumpebant sponte sua, nec extrinseco artificio, complexione corporea porcitata, aliisve malorum incentiuis adhibitis enascebantur: sed tunc tantum erant, cum aduocabantur, nec erumpebant nisi signo dato per rationem superiorem. Quare in Christo, propolitus modus tentationis non habuit locum. Vnde apud Athanasium libello 14. contra Monophysitas, dicitur in hac Satanæ tentantis victoria; naturam humanam rei supernaturalis clarissimum edidisse spectaculum. Modus ergo tentationis qui in Christo locum habuit; is tantum fuit, qui peragitur per metam exteriorem suggestionem, & obiectorum propositionem realem, aut vocalem, de quo pulcherrime differt Abulenensis in c. 4. Matth. quæst. 21. & Ribera in c. 4. ad Hebr. num. 25. & 26. Hoc est quod S. Damascenus dixit 3. fid. c. 10. [Malignus de foris suggestionibus, non per cogitationes quemadmodum ipsi Adam? Etenim illi non per cogitationes, sed per serpen-

Theoph. Raynaldi Christum.

tem. Dominus autem suggestionem repellat, & veluti fumum dissoluebat, vt suggestiones ipsi passiones expugnata, & victæ, nobis etiam facili expugnabiles euadant: & sic nouus Adam, antiquum reparat ad salutem.] Idem ante Damascenum his aliis verbis dixerat Aug. 4. Trinit. cap. 13. [Ille proinde qui Spiritu viuus carnem suam mortuam resuscitauit, verus vitæ mediator, illum Spiritu mortuum, & mortis mediatorem, à spiritibus in se credentium foras misit, vt non regnaret intrinsecus, sed forinsecus oppugnaret, nec tamen expugnaret. Cui se ipse quoque tentandum præbuit, vt ad superandas etiam tentationes eius, mediator esset; non solum per adiutorium, verum etiam per exemplum. At ille primitus, vbi per omnes aditus ad interiora moliens itrepere, expulsus est, post baptismum in eremo completa omni tentatione illecebrosa, quia viuus Spiritu, Spiritu mortuus non inuasit, quoquomodo audis mortis humanæ, conuertit se ad faciendam mortem, quam potuit, & permissus est in illud quod ex nobis mortale viuus mediator acceperat.]

436. Omnium explicatissime hanc de Christi nonnisi externis tentationibus, doctrinam, expressit S. Gregorius hom. 16. in Euang. [Sciendum quia tribus modis tentatio agitur, suggestionem, delectationem, & consensum: & nos cum tentamur, plerumque in delectationem, aut etiam in consensum labimur: quia de carnis peccato propagato, in nobis ipsis etiam gerimus, vnde certamina toleramus. Deus verò quin in vtero Virginis incarnatus, in mundum sine peccato venerat, nihil contradictionis in semetipso tolerabat. Tentari ergo per suggestionem potuit, sed eius mentem peccati delectatio non momordit; atque ideo omnis Diabolica illa tentatio, foris non intus fuit.] Vocat tentationem per delectationem, qua abstrahimur & illicitum à propria concupiscentia, agro mortalitatis nostræ, has per seipsam vtriusque profertente. Tentatio verò per suggestionem, in nobis plerumque est interna: cum scilicet Satan idoneorum humorum commotione species ad tentandum accommodatas, prius sopitas quasi suscitât, & ignem concupiscentiæ cineri doloso antea suppositum vegetat, non absque aliqua prægustatione peccati inde exorta. In Christo, tentatio per suggestionem, fuit merè externa, qualis est in nobis ea qua per congruam obiectorum sensibilibus applicationem externam, proritat ad malum. Sed inde in nobis vel inuitis excitantur motus aliqui; qui, si prius desideratus, sunt innoxii: si autem rudimentum dumtaxat aliquod assensus interueniat, est peccatum leue, quo via munitur pleno consensui; ac ruinæ sanctitatis: Ec hæc est quam S. Gregorius vocauit tentationem per consensum, quæ in Christo locum non habuit: vt neque tentatio per delectationem absque extrinseco incensore natam, vel quæ est per internam suggestionem. Affine est ac propè geminum, vt Caietan. Lucæ 12. rectè vidit, quod Christus quem dedecuit interior eruditio & consolatio per Angelum, admittit tamen externam Angeli visibiliter apparentis consolationem per propositionem rationum patiendi, animumque erigendi, quas rationes optime habebat perspèctas. Christum enim verè admisisse consolationem ad modum prædictam, supra probauimus agentes de tristitia voluntatis n. 228. malè reclamante Vasques 3. p. d. 56. cap. 2. qui Angeli confortationem à Luca narratam, exponit de mera collaudatione eximie fortitudinis tunc in Christo militantis: quod responso, tanquam dissentaneum proprietati verborum Euangelicorum.

Breuiulus capitis, & vsus doctrina.

Summam capitis, sic accipe. Affectus in Christo, nec voluntatem superiorem præueniebant, nec ei propriè aduertebantur. Vnde plena fomitis quod formale extinctionis, cum interiorum ad peccata tentationum in

Bbb a capaci

capacitate, conſequebatur. Uſum doctrinæ huius capi-
tis, ſuppeditabit ſequens caput.

CAPUT IX.

*Exemplar paſſionum rectè compoſitarum, & à
ſordibus noſtratis expurgatarum, in Cardi-
nalibus Chriſti paſſionibus ſub mortem, ac per
tempus paſſionis.*

437. **P**recuſor ſunt in argumentum longè
piſſimum, ſimulque fructuoſiſſimum, &
exhibeantur veluti præſes paſſionum Chriſti, optimè ac
ut hominem Deum decebat compoſitarum, à noſtriſ-
que defectibus liberarum, eas Chriſti paſſiones con-
ſiderandas ſuſcipio, quas elicit in vitæ meta. Quod
enim ſcitè de morte dixit Baſilius Selenciæ orat. 13. ut
mors Chriſti, mortis noſtræ exciſum, ita eiſdem
paſſio, paſſionum noſtrarum officina medica fuit. Nec
minùs eleganter S. Maximus centur. 1. ex variis cap. 14.
ait, hominis creatorem factum eſſe hominem, ut paſ-
ſiones paſſionibus curaret; eſſetque paſſio paſſionum
noſtrarum per ſuas in carnis penurias, & ſuſceptas pro
nobis paſſiones. Præterquàm quod nuſpiam in tota
vitæ, actionum adeò illuſtrum in omni genere ſpeci-
mina dedit Chriſtus Dominus, quàm in extremo vitæ
ſcematate. Attingam autem per ſummum duntaxat
verticem Cardinales Chriſti per tempus illud paſſio-
nes, in vtroque paſſionum ordine quatuor: amoris
ſcilicet, odium, deſiderium, ac dolorem in claſſe affe-
ctuum partis concupiſcibilis. Itemque ſpem, audaciam,
timorem, & iram, in altero ordine: notatis ad vnam
quamque paſſionum prædictarum, quæ Patres conſi-
deratione digna cenſuerint. Neque verò ſollicitus ero,
quod pleraque affe. ctuum proponendorum exempla,
ut ex obiecto formali conſtabit ſpectent potiùs ad vo-
luntatem ſuperiorem, quàm ad appetitum ſenſitivum.
Nam perinde id eſt ad rem præſentem, quandoqui-
dem ob radicationem potentiarum illatum in eadem
anima, affectibus vo. untatis, proportionales ſemper
affectus in appetitu correfpondent.

Amor.

438. Hæc paſſio princeps, in Chriſto Domino per
tempus paſſionis micantiſſima fuit. Quos enim dilexe-
rat à primo ortus ſui principio, in ſinem dilexit: hoc
eſt cumulatiſſimè amavit in vitæ meta. Et ſane amor
amando creſcit; ac in modum ignis, (quod notavit
Theodoreus orat. de charitate) quo plus operatur, eo
fit auctior; materiæque acceſſione non obtunditur, ſed
amplificatur magis. Mirum ergo non eſt, Chriſtum
Dominum, perpetuè per vniuerſam vitam anterio-
rem, incenſiſſimi & in Patrem & in nos amoris exerci-
tio perſeſſum, in vitæ limite illuſtiora amoris argu-
menta edere voluiſſe. Egreſſè planè hoc expreſſit Ru-
pertus l. v. in Daniele cap. 23. ubi ſuppoſita can-
delabii typici accommodatione ad Chriſtum, quam-
uſe perſecutus erat lib. 4. in Exod. c. 8. & pulcherrimè
etiam S. Auguſt. orat. de ſ. hæreſibus, qui nominatim
ad Chriſtum in cruce poſitum reſert antiquum cande-
labrum: his inquam ſuppoſitis, conſiderate aggrediuntur
Rupertus quæ ſunt duæ illæ oliuæ, vna à dextris, altera
à ſiniſtris, quas circum candelabrum ſibi in viſione ex-
hibitas, prodit Zacharias cap. 4. Et oliuam quidem à
dextris locatam, interpretatur beneuolentiam Dei in
genus humanum, cui per Verbum ſuum tam multa
condidit ac prouidit. At oliuam à ſiniſtris, ait eſſe Chri-
ſti charitatem, cum in Patrem, tum in nos, genùſque
noſtrum in paſſione proditam. Idcirco enim ea oliuæ, à
ſiniſtris, id eſt in cruce & ærumnis exhibita Prophetæ
eſt, per viſum diuinitus iniectum. Amori potiùs huic,

primas inter omnes affectus Chriſti patientis eſſe de-
ferendas, intelligere proportionem poſſumus, ex eo
quod in prima vniuerſi molitione, ſpiritus Domini fe-
rebatur ſuper aquas: id eſt interprete D. Auguſtino
q. 8. ad Dulcitium, Deus omnia operatus eſt, non per
ſubiectionem ad res creatas ut facit amor indigus; ſed
per abundantiam beneficentiæ, & ſanctæ dilectionis
ac beneuolentiæ ſupergræſſionem. Opus autem re-
demptionis noſtræ, & paſſionis Chriſti, coimpeſa
quædam fuit, ut acutè ac ingenioſè de morte animad-
uertit Rupertus l. 5. de diu. off. à c. 9. ſignata correfpon-
dentia dierum hebdomadæ primæ qua mundus con-
ditus eſt, cum totidem diebus hebdomadæ in qua
Chriſtus paſſus eſt, à Dominica palmarum qua tantum
opus eſt exorſus, ad Sabathum vſque, quo in ſepulchro
requieuit ab vniuerſo opere quod pararat. Spiritus
itaque Domini & amor Chriſti, in hæc quoque coim-
peſa, & vera mundi myſtici effectiōne, ſupergræ-
diebatur: & præ affectibus cæteris in Chriſto emine-
bat, cum erga Patrem, tum erga genus humanam,
pro quo patiebatur amore Patris.

439. Contestatus ſane eſt ipſemet Chriſtus, quod at-
tinet ad amorem in patrem, quas affectus ille partes in
hoc opere habuerit, cum dixit Ioan. 14. ut cognoscat
mundus, quia diligo Patrem, ſurgite, eamus: utique ad
crucem & immania ſupplicia, quæ præ amore in Patrem
nihil duxit. Conſiderabat enim quanta diuinæ iuſtitie
conculcatione, Satan hominem ad ſe abtraxiſſet per
peccatum: quanta honori diuino plaga, per elationem
hominis, cuiusque originem eſſet illata: perſpiciebat
bonitatem Dei id à ſe poſcere, ut hominem inter ac
Deum conciliator interueniret, & homini ad Deum
ſuum reſteſſario via fieret. Hic Chriſtus flagrantifſimo
Parris amore ſuccenſus, ad expectatam à Patre homi-
num ſalutem, per cruciatibus horrendos, per amara &
aſpera quæque, per probris, ſannas, flagella, clauos, cru-
cem, viam ſibi generoſiſſimè ſtrauit, illud in ſeipſo ſa-
ctis comprobans, dilectionem ſortem eſſe ut moreretur:
id eſt irumpere quoecumque amati res tolerint, nemi-
ne arcente, aut prohibente. Omnino comprobauit in
ſeipſo, quod de quibuſvis diuino amore correptis, &
mortem præ dilectione contemnentibus, dictum eſt à
D. Auguſtino l. de Mor. Eccleſ. cap. 22. [Nihil eſt tam
durum atque ferreum, quod non amoris igne vincatur;
quo cum ſe anima rapit in Deum, ſuper omnem
carnificinam libera, & admiranda volitat pennis pul-
cherimis & integerrimis, quibus ad Dei complexum
amor caſtus innititur. Niſi verò amatores auri, ama-
tores laudis, amatores feminatum, amatores ſuis
Deus ſinat eſſe fortiores: cum ille non amor, ſed con-
gruentius cupiditas, vel libido nominetur. In qua-
tamen apparet quantus ſit impetus animi, ad ea quæ di-
liguntur indefeſſo curſu per immania quæque ten-
dendis: argumentumque nobis eſt, quàm ſint omnia per-
ferenda, ne deſeramus Deum, ſi tanta illi, ut deſerant
perferunt.]

Hæc ſi vulgo ac plebe ſanctorum verè ab Auguſti-
no dicta ſunt, ut & alia pleraque eximia de fortitudi-
ne huius ſanctorum amoris, quæ ibidem habet cap. 11.
quanto verius de Chriſto dici poterint, qui præ om-
nibus Deum dilexit, & de eius ſumma diligibilitate ſi-
quid orem habuit noticiam? Amor iſte in Patrem, Chri-
ſtum ad tam multa tribunalia, denumque ad crucem,
magna cum pernicitate ac gaudio tendere fecit. Eſt
enim id amoris proprium, (quod notavit Theodoreus
orat. de charitate S. Petri amorem deſcribens) eſt
inquam id amoris peculiare, ut animam volucrem ſi-
ciat. Ut propterea dicat Theodoreus, S. Petrum fla-
grantem deſiderio aduendi Chriſtum in litore ſeden-
tem, præ Chriſti amore, voluiſſe ſumptis pennis auo-
lare ad eum quam promptiſſimè: ſed iſis per naturam
negatis, uſum eſſe aquis pro ære, manibus pro pennis.